

---

HENRICI DODWELLI  
DISSERTATIO DE ARRIANI NEARCHO.

---

**N**earchi hunc, quem habemus, Periplum, non a Nearcho ipso, sed ab Arriano scriptum esse constat. Est enim lacinia ex Arriani Indicis deprompta. Tempus ergo, quo in lucem emanarit, non e Nearchi, sed ex Arriani potius, aetate colligendum est. Ipsa autem Indica Libris de Alexandri M. Expeditione omnium insignissimis subjecta fuisse ipse profitetur Arrianus. Nihil ergo est cur dubitemus, quin post illos de Alexandro Libros, alio nullo Opere interposito, hunc quoque Periplum concinnarit. Proinde paulo post secessum, quem anno Aerae nostrae Christianae 147 iupra asseruimus. Certe sub Pio. Nihil enim illi exploratum est de commercio illo lucrosissimo inter Alexandrinos ipsosque Indos, quod oram illam omnem patefecerit, cujus veluti jam stabiliti meminit Ptolemaeus, qui scripsit etiam ipse sub Pio <sup>a)</sup>. Itinera enim recenset in hoc Opere Arrianus, ex Aegypto ad Susas, non tamen duobus plura: aliud exercitus Cambysis;

§. 1. Scripsit, ut videtur, Nearchi Periplum Arrianus, paulo post Expeditionem Alexandri M. antea quam innotesceret Geographia Ptolemaei.

a) Nearch. Peripl. p. 39.